



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nucleus Casuum Conscientiæ Sive Brevis Notitia Eorum
quæ scitu vel necessaria, vel valde vtilia sunt
Confessarijs in primo ingressu ad audiendas Confessiones**

Agostini, Giuseppe

Coloniae Agripp., 1644

Pastorum officium, n. 44.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41767

Archipresbyteris seu Decanis Ruralibus esse compellendos, declaramus.

Pastorum officium.

XLIV. Pastores verò, quibus animarum cura Legitimè commissa est, domui suæ sint bene præpositi, ita ut non tantum ipsi, sed & eorum familia irreprehensibilem vitam agant: *Qui enim domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesia Dei diligentiam habebit.* a Insuper sciant præcepto Diuino b sibi mandatum esse, ut oues suas agnoscant, pro his Sacrificium offerant, verbiq̃ue Diuini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascant, & pro earum salute, quandocunque opus est, animam suam ponant, pauperum præsertim infirmorum, sæpè eos visitando, ac temporali & spiritali solatio eosdem subleuando, curam paternam gerant, rudes in fide, & maximè iuuentutem, ut Ecclesiæ seminarium Catechizent, piorum Legatorum diligentem rationem habeant, & serijs monitionibus satagant, ut ante finē
anni

anni pijs testatorum voluntatibus satisfiat, & in cætera Pastoralia munera omnia, onus Angelicis humeris formidandum, diligentissimè incumbant. Quis enim nescit, quanti vna anima sit pretij, quarum tot millia Sacerdotum Curatorum incuriâ pereunt.

a 1. *Timoth. 3. 5.* b *Conc. Trid. sess. 5. de reform. c. 2. & sess. 23. de reform. c. 1.*

Pastores iure Diuino quibus suis assiduè adesse tenentur, etiam periculi & pestis tempore, nec ad mensem à Parochiâ suâ abesse possunt sine licentiâ Archiepiscopali.

XLV. Ad præstanda & implenda hæc Pastoralis officij debita, ad assiduam apud oves suas residentiam se iure Diuino obligatos esse intelligant Pastores omnes, nec posse oves suas metu periculi, vel pestis tēpore, deserere, vel sub prætextu aliorum negociorum, sine licentiâ nostra, nostriue Vicarij in spiritualibus generalis, ac nisi alteri Archiepiscopali nostra auctoritate, approbato
Vica-